



00

Kt

g.c. 132

vgl. an Id 2087

Theol.

IV. C. 3.

12

*l*

DISSERTATIO THEOLOGICA  
SISTENS  
**TENTAMEN DEMONSTRATIONIS**  
QVOD  
IOSEPHVS, ISRAELIS FILIVS,  
FVERIT TYPVS MESSIAE ADMODVM PERFECTVS.

---

QVAM  
ADSTIPVLANTE NVMINE SVPREMO  
PRAESIDE  
VIRO SVMME VENERANDO EXCELLENTISSIMO AC DOCTISSIMO  
**IOANNE GEORGIO MICHAELIS**  
S. S. THEOL. PROF. PVBL. ORD. AC ILLVSTRIS GYMNASII  
REFORM. EPHORO  
FAVTORE AC PRAECEPTORE  
SVO AETERNVM SVSPICIENDO  
DIE IIX. APRILIS MDCCCLVI.  
HORA X. IN DICTI GYMNASII AVDITORIO MAIORI  
PVBLICO EXAMINI SVBMITTET  
ATQVE DEFENDET  
A V C T O R  
**CAROLVS LVDOVICVS FRANCKE**  
ARA VSIOPOLITANVS  
S. S. TH. C.  

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
LITTERIS HILLIGERIANIS.

THEATRUM DEMONSTRATIONIS  
SISTENS

JOSEPHAS ISRAELES FILIUS  
HARIT TYPAS MIRELLA AD MICHAIL TREGEGIA

IOVINE GEORGIO MICHAELIS

& A THOMAS RIBOLINI ORB AC HISTORIS CINNAMONI  
HICORNENI

LAVATORIE AC PRACTICAE ORBIS

EX AEROPHYSICO SURGENCINO

AC INSTRUMENTO MUSICALI

HOC XIXI DIOC CHIARA VENETIA MONS

CO FIRMAT & CONFIRMAT

ATTA A DEDICATA

AUGUSTO

CYRILLI HODIGITRIANICE

AC AEGEOLYTINA

1600

GRATIAS MAGDEBVRGAE

ZITATIS HILDEBRANDIS

VIRO  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,  
DOMINO  
**CAROLO LVDOVICO SELIG**  
CLEMENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARIO  
INTIMO AC AVLICO,  
DIRECTORII SACRI REFORM. SENATVS ECCLESIASTICI CATHEDRALIS,  
ATQVE COLLEGII, CVI CVRA REI VEHICULARIS EST  
CRÉDITA, CONSILIARIO,  
NEC NON  
ILLVSTRIS GYMNASII REGII IOACHIMICI ALIARVMQUE  
SCHOLARVM DIRECTORI CET. CET.

VIRIS  
SVMME VENERABILIBVS, EXCELLENTISSIMIS,  
DOMINO  
**AVGVSTO FRIDERICO**  
**GVILIELMO SACK**  
SACR. REG. MAI. BORVSSICAE CONCONATORI AVLICO PRIMARIO,  
SENATVS ECCLESIASTICI REFORM. PRAEPOSITI MEMBRO DIGNISSIMO,  
SVMMI CONSISTORII CONSILIARIO ET REGIAE SCIENTIARVM  
ACADEMIAE SODALI

DOMINO  
**IOANNI PHILIPPO HEINIO**  
S. S. THEOL. DOCTORI, GYMNASII REGII IOACHIMICI RECTORI  
ATQVE PROFESSORI PRIMARIO, REGIAE SCIENTIARVM  
SOCIETATIS CLASSIS PHILOSOPHICÆ DIRECTORI.


V T E T  
VIRO  
AMPLISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO  
DOMINO  
**GODOFREDO BERNARDO**  
**LEMCKE**

VRBIS SPANDOVII CONSULI DIRIGENTI, NEC NON REI VEHICVLARIS  
MAGISTRO, PATRVELI SVO OMNI HONORIS CVLTV  
PROSEQVENDO.

VIRIS  
NON MVNERVM AC DIGNITATVM SPLENDORE SOLVM,  
SED ET ERVDITIONIS, VIRTVTVM ATQVE MERITORVM COPIA  
AC GLORIA CELEBRATISSIMIS

MAECENATIBVS  
ATQVE  
**P A T R O N I S S V I S**  
DEVINCTISSIMA GRATISSIMAQUE MENTE AETERNUM  
DEVENERANDIS  
HVMILLIMO ANIMO SE COMMENDAT  
HASQVE PRIMITIAS ACADEMICAS SACRAS ESSE  
CVPIT

A V C T O R.



### SECTIO I.

## NOTAS NECESSARIAS TYPORVM HORVMQUE INDE DIVERSAM PERFECTIONEM CONSTITVENS.

### §. I.



um ex instituti nostri ratione circumspicienda sit nobis Typi definitio, accurata satis aptaque ad dignoscendum ipsum a similibus omnibus rebus, videlicet Emblematis, meris Allegoriis, Analogiis etc. nulla nobis ad huncce finem aptior est visa, quam quae a *Celeb. SALDENO* in Otiis Theologicis Exercit. III. de usu et abusu Typorum Sect. I. §. VI. in medium adducitur, vbi Typum definit per *ejusmodi rei signum, vel imaginem, qua in V. Testamento ex intentione Sp. S. sue Messiae persona, sua actus, sua passiones eius, vel quodcumque gestum aut gerendum in N. T. respiciens, praefiguratur et adumbratur, ad fidem et pietatem promouendam.* Facile omnino erit,

A

omnes

2. *Dissertatio Theologica*

omnes huius definitionis notas in tuto collocare, exque illa necessarios Typi characteres eruere. Quo facto, per se disparebit obiectio, quam quis huic definitioni facere posset, quod scil. longior sit, quam regulae logicae permittunt; id enim omnino euitari nequit, si rerum a definito discernendarum tantus est numerus, quantus hic loci occurrit. Agamus igitur, et quid ex nostra definitione fluat, videamus!

§. II.

Typum omnem debere esse imaginem, et hinc etiam signum alterius cuiusdam rei, absque ulla probatione adsumi posse videtur; quippe haec nota est adeo essentialis Typo, vt per se animo cuiusvis de Typo cogitantis se offerat, ac omnis Tyrorum usus cessaret, si hac ipsa destituerentur nota. Cum iam natura imaginis requirat, vt inter ipsam et rem, cuius est imago, intercedat similitudo: quid obest, quo minus concludamus: *inter unumquemque Typum et ipsum Anti-Typum necessario esse debere similitudinem?* siquidem in representatione huius similitudinis essentia imaginis consistit. Quod vbi adfirmamus, non hoc volumus, ac si omne id, quod in Typo leuem quandam similitudinis umbram prae se ferr, ad Anti-typum sit transferendum. In omnibus locutionibus typicis, emblematicis et allegoricis commune aliquod tertium respicitur, quod rationem similitudinis constituit, ultra quod in explicatione non temere est procedendum. Hinc iuvat distinguiere inter *materiale* et *formale* Typi, quorum prius Typo proprium manet, posteriori vero ad Anti-typum traduci potest. Haec igitur similitudo sit nobis primus Typi character; vt hinc ex Typerum numero statim excludere queamus, quidquid cum Anti-typo, (si nempe talis ipsi daretur) similitudinem habiturum non esset. Consequenter quaevis simpliciter facta rei futurae praedictio typus appellanda non est, siquidem partim similitudinis nota ipsi deest, partim non est res §. I. quam vocem cum *Celeb. SALDENO* in sueta sua amplitudine sumimus, vt non solum personas et alia obiecta regni naturae tam animata, quam inanimata, verum etiam res facti comprehendat; nullo vero modo meras cogitationes,

*De Iosepho Typo Messiae admodum perfecto.*

tiones, seu representationes ac verba complectatur, quippe quae Allegoriis ac Prophetiis, a Typo bene digneſtis, inferuiunt.

§. III.

Secundus character, quem ex definitione nostra eruere licet, hic est: *ut res, cui ratio typica adscribi potest, sit res V. Testamenti, seu comprehensa intra tempus, quod ante natum Christum est praeterlapsum.* Solis enim his temporibus Typorum seu obscurarum umbrarum erat necessitas; quas si quis in N. T. reperire putaret: refragaretur omnino praerogatiis fidelium huius temporis, quorum non amplius est in tenebris ac umbris, sed in luce ambulare. Interim hoc effato minime negare volumus, quod ex V. Oeconomia non superfluerint quondam, vel fortasse adhuc supersint Typi, quorum impletio sub noua Oeconomia expectanda fuit, vel est. Sed id tantum pertendimus: Typos de novo temporibus N. T. institutos, ob rationem antea allatum, non dari.

§. IV.

Quodsi igitur omnis Typus intra tempus V. T. est circumscriptus, ille autem necessario Anti typum suum habere debet §. II. hic omnino in melioris foederis Oeconomia est quaerendus. Hinc tertius character est: *qui vis Typus respiciat necesse est, seu habeat Anti-typum vel personam vel actiones vel passiones, Messiae, vel quodvis denique notatu dignum N. T. factum.* Sapientissimis de causis Deus missionem filii sui in serius tempus rejecerat, huius autem sponsione certa atque indubia, spes ac fiducia credentium innitiebatur, quae, ne longiore mora vacillaret, nouis subinde promissionibus ac representationibus typicis fulciri ac confirmari oportebat. Omnis hominum salus pendet ab iis, quae Christus loco et in bonum ipsorum egit et passus est: haec igitur piis Abrahami posteris modo obscurius, modo clarius ob animum et oculos ponenda erant. Sola vero haec obiecta membrabantur, tam multiplici modo praefigurari arque adumbrari, nosci a fidelibus V. T. ipsisque inculcari. Haec sola valebant quid, ad fidem pietatemque fidelium eius aeuī promovendam. Hic ergo iam iterum adparet, nonnisi in V. T. typos esse col-

Dissertatio Theologica

locandos. Quid enim quaeſo opus eſt vmbbris ac figuris, vbi ipſa comparuerunt, vt ita loquar, corpora? Sique licet ſimilitudinem hanc continuare: quis in vmbra haerebit amplius, vt corpus inde cognoscat, fi hoc ipsum intueri potest? Sed ulterius ex hac Typorum nota patet: omne id Typi adpellationem non mereri, cuius Anti-typus praetensus non incidat in tempora N. T. Et quis tandem dubitabit proſiteri, non niſi res futuras adumbrari ac praeſigurari poſſe. Falluntur ergo admodum, qui, non omnino laudabili typificandi ſtudio abrepti, rertum non ſolum praefentium, verum etiam eheu! praeteritarum Typos ſibi inueniſſe ſunt viſi. Sin etiam hoc ad tempus aliquod concedere vellemus: tamen conuenienter iis, quae huic diximus, eiusmodi res adumbratae eſſe nequirent niſi ſpirituales. Annon vero rerum ſpiritualium vel praefentium vel praeteritarum repræſentatio pertinet inter alia ad negotium Sacramentorum? licet inſuper concedamus lubentes, Sacra menta alio reſpectu perbene etiam Typos eſſe poſſe.

§. V.

Accedit iam quartus character, qui in eo conſiftit, ut quiuſ Typus vel in ſe, vel ope Anti-typi ſui aptus eſſe debeat ad fidem et pietatem populi Dei promouendam, ſeu corroborandam. Haec fidei et pietatis corroboratio eſt ſcopus Typorum, qui ex tota hucusque iſtituta conſideratione conſequitur. Praeſigurantur enim iisdem res N. T. ſpeciatim Christus et beneficia per ipsum parta, quae corroboranda fidei ac pietati accommodata omnino ſunt; atque hinc idem etiam de Typis valet, quippe quibus harum rerum notitia mentibus fideliūm ingeritur: ita vt ſpes ac fiducia in iſpis oriſi potuerit, fore, vt bonorum adumbratorum potiantur aliquando, licet omnino dicendum fit, illum effectum non ſine ſimultanea Sp. S. operatione aētu ſperari poſſe. Adhaec, cum in affectione et quotidiana augmentatione fidei ac pietatis vera hominis conſiftat felicitas, quam bonitas Dei non potest non praecipue in extraordinarīi ſuis operibus, quale omnino eſt Typus, intendere: hoc rurſus modo appareat necesse eſt, quem-

quemuis Typum ita debere esse comparatum, ut promouenda  
fidei pietatique par sit.

§. VI.

Hi interim characteres, quam necessarii etiam sunt, tamen non omnino sufficiunt ad agnoscendum quid pro Typo, nisi adhuc nouus hic accedat, ut res aliqua, hisce iam characteribus gaudens, ex intentione et peculiari divinae voluntatis indicio Typus fuerit constitutus. Etiam hic character ex iis, quae in superioribus posuimus, proxime fluit. Per Typos enim ea, quae Christus egit et passus est, beneficia denique per fidem in nos conferenda effigiantur § IV. per illos fides atque pietas creditum V. T. fuit promota § V. Sed vero finis hic obtineri haud potuisset, nisi, hanc vel illam rem ex destinatione diuina effigiem excellentioris cuiusdam personae vel rei esse, certo dici constaret. Et cum solus Deus bona per Typos praesentata dare potuit: bonitas etiam eius atque sapientia efflagitant, ut illorum indicium aliquod fecerit. Adhaec Typi sunt totidem Prophetiae bona futura respicientes; Deus vero per infinitum suum intellectum nexus rerum praesentium et futurarum accuratissime pernouit: vti igitur illum indicare potuit, ita etiam, ut fidem atque pietatem suorum sustentaret ac incenderet, significare voluit. Quo obseruato, concidunt omnes explicationes typicæ, quae a non-nullis tam antiquioribus, quam recentioribus, ingenio suo nimium dantibus ac imaginationis auctu abrep̄sis, protruduntur, non sine detrimento studii typici, quod, aucto sic praeter necessitatem mirum in modum Typorum numero; multis hodieque suspectum atque fastidiosum redditum est. Hisce considerationibus ducti iam concludimus: quodsi etiam maxima inter rem V. et rem N. T. intercedat similitudo; etiamsi porro sit aptissima ad fidem et pietatem populi Dei promouendam, nihilo tamen minus rem V. T. pro Typo accipienda non esse, donec cognoscamus, ipsam ex Dei intentione fuisse rationis typicae, seu habuisse ideo antea dictos characteres, ut sit alterius rei imago. Hinc inquirens num aliquid sit Typus, primo quidem circumspiciet, num illis characteribus praerequisitis gaudeat; sed illis

inuentis, maximum adhuc sit illius negotium, ut ex seculo aliquo fonte cognoscatur, Sp. S. hic typum intendisse. Nos vero inexcusabilis vitii accusandi esse mus, nisi iam in fontes huius necessariae cognitionis inquireremus.

## §. VII.

Ex S. Codice hauriendam esse hanc cognitionem, quis est qui neget? et si quis negat: videat, numme habeat sibi aduersam S. Scripturam! Petrus certe 2. Ep. I, 20. disertis verbis prohibet, ne quis Prophetiam propriac subiiciat explicationi: sed Typus est realis quaedam Prophetia. Num rite etiam perpendit, nexus, qui est inter Typum et Anti-typum plane non esse naturalem, sed ex mero Dei arbitrio pendere? Haec omnia ubi agnoscit, sane dubitare non poterit, sapientiae bonitatique Dei conuenire, vt ipse, ceu autor huius nexus, eundem nobis in verbo suo indicet, quo sic tuto cuitare queamus confusione ejus, quod Typus non est, cum Typo. Sic omnino ex S. Codice cognoscatur oportet intentio Dei de Typo constituendo. Cum iam nemo nesciat multuariam admodum posse esse certitudinem ex S. Scriptura hauriendam, darique effata eius clariora, dari minus clara, et magnum tandem esse veritatum numerum, quae nonnisi per legitimam consequentiam ex verbo Dei eruuntur: facile patet, nos officio nostro nondum agere satis, ubi dicimus, intentionis diuinae notitiam ex Reuelatione esse hauriendam; sed nostrarum omnino esse partium, varios istos riuulos, qui ex eodem fonte labuntur, breuiter consecrari. Sit igitur statim hoc praecipuum, omne id pro Typo, diuinitus ordinato, esse habendum, *de quo S. Script. vel claris atque expressis verbis enunciat, quod sit Typus, vel quod ipsa cum Anti-Typo coniungit adque illum applicat.* Sic agnus paichalis dicitur Christus pro nobis immolatus. Quiuis videt, hancce cognitionis viam esse omnium luculentissimam, ac practer ea, quae iam diximus, nulla ampliori probatione egentem.

## §. VIII.

Verum enim vero cum in V. T. plures oppido comprehendamus res, quae ex huiusmodi testimonii S. Sacrae pro Typis

pis

pis a Sp. S. constitutis agnosci nequeunt, quae tamen necessario pro Typis sunt habendae: absque dubio licebit inferre: hocce testimoniorum genus non esse absolute necessarium in omni typo adsumendum, sed superesse adhuc alias vias, perueniendi ad certitudinem de intentione diuina Typum adornandi. Necesarium vero non ducimus, omnes possibles afferre vias. Quare eas tantum adducemus, quae ad scopum nostrum adsequendum faciunt. Absque vltiori hinc mora harum primam facimus hanc: Spiritum S. omne id Typum declarare, *quod sub genere quodam rerum V. T. comprehenditur, quo de S. Sacra enunciat, illud rationem typicam habuisse.* Semel enim testimonio tali conuicti de typica ratione generis alicujus, non nisi leui admodum indigemus ratiocinio ab illo genere ad quandam ipsius speciem, et ab hac specie ad eiusdem individua, quo plenarie sumus certi, aliquid esse Typum. Hinc vltro apparet, hancce certitudinem parum, vel nihil differre ab illa, quam directo S. Sacrae testimonio obtinemus.

§. IX.

Excipiat hanc viam altera, quae haec est: vt pro Typo diuinitus adornato suscipiamus, *quidquid inter populum Dei pecularis fuit conditionis ac dignitatis, videlicet personas, prae aliis notabilibus, vel qui eximio atque sancto functi sunt munere etc.* Hoc enim vbi nobis in S. Script. occurrit: res ipsa loquitur, mereri peculiarem nostram attentionem continereque plus, quam quidem primus doceat ipsius intuitus. Breuiter, adornatam esse, vt sit imago rei cuiusdam sublimioris; vt hinc coactos nos videamus, ipsam habere pro eo quod est, etiam si S. Sacra nullo expresso testimonio declareret, ipsam, diuina volente prouidentia, in Typorum numero haberi debere. Praeterea non errabit, qui adfirmat, hoc in casu prolixum S. Sacrae de hac re sermonem, vel accuratam eius descriptionem, seu fatorum eius narrationem, testimonii expressi locum commode supplere. Huiusmodi Typi historici multi occurunt, quorum sola relatio docet, aliquid arcani subesse, vt hinc Sp. S. necessarium non duxerit declarare, quod altioris rei imaginem gesserint.

§. X.

## §. X.

Porro inter fundamenta explicacionis typicae *nominum permutationem* referre possumus. Scil. vbi res sive personae N. T. iisdem insigniuntur nominibus, quibus aliae sub V. T. gaudent, inde non sine ratione inferre possumus, inter vrasque relationem typicam intercedere. Habet hoc rationem suam in indole signi ac rei signatae ob mutuam conuenientiam; vt hinc etiam communi loquendi vsu imaginem hominis ipsum hominem adpellamus. Sic Christus dicitur, Dauid, Salomo. Plura exempla habet GLASSIVS Philol. Sacr. Lib. II. P. I. Traet. 2. Sect. 4. p. m. 215. Quae nominum  $\alpha\lambda\lambdaο\omegaσις$  quoniam ex sapienti Sp. S. consilio est facta, alteram rem sive personam pro Typo, alteram pro Anti-typo agnoscere possumus, praesertim si inter vtramque intercedit eximia ac sane non fortuita similitudo et reliqui rationis typicae characteres adsunt.

## §. XI.

Eodem vero modo Typum deprehendi ex Dei voluntate iudicamus, si de re aliqua V. T. quid praedicatur in S. Sacra, quod tamen in eadem impletum non est. Hoc enim magna cum ratione videtur esse signum, euidens admodum, de arcana rei illius conditione, atque nos concludere iubet, quia verbum dei tam errare, quam fallere nescium plane est; quories S. Sacra V. T. de re aliqua sive persona quid, quod in eadem non deprehendimus, pronuntiat, id ipsum in aliqua re simili, quae in illius locum substitui potuit, esse impletum, ac ipso opere repraesentari. Consequitur ergo, hoc in casu vnam rem rationem Typi alterius rei habere, siquidem alias ipsi, quod alterius est, dari non potuisse. Exemplo nobis iam sit sacerdotium Melchisedeci, quod in S. Sacra aeternum praedicatur, dum ad illius rationem ipsum Christi sacerdotium aeternum dicitur, cum tamen certo constet, prius temporis spatio admodum arculo circumscriptum fuisse.

## §. XII.

Tandem addimus: *id omne typicam interpretationem ferre, de quo hoc ipsum facilibus ac legitimis consequentiis demonstrari potest.*  
Saepe

Saepe numero enim in scriptura occurunt res, de quibus ipsa ne  
vnico quidem verbo testatur expresse, quod fuerit Typi, et quas ni-  
hilo minus ex horum numero excludere minus possumus, ratione-  
bus sane non destituti. Ex iis enim quae circumstant, quaeque  
S. Sacra nobis refert, concludere cogimur, necessarium fuisse  
Typum. Quod si iam in serie illa deprehendimus rem, quae ob-  
similitudinem suam aliasque proprietates, §. III-V. expositas, com-  
parata esse videtur, vt sit Typus: quid, quaelo, certitudini nostrae  
deest, quo minus illi rei, conuentienter intentioni diuinæ, typi-  
cam adscribam rationem? Adhaec vbi animaduertimus, pro-  
videntiam diuinam erga hunc vel illum plane singulari ac para-  
doxo modo procedere: quid inde aliud cum ratione suspicari  
possimus, quam quidem Deum, sic agendo, singulares etiam  
ac non aliter nisi tanto adparatu adsequendos fines obtinere vo-  
luisse? Iam in sacris relatos legimus euentus, qui breuiori ac  
multo faciliori via obtineri saepe potuissent. Quum vero sapi-  
entiae diuinæ absque dubio contrarietur via longiori ac dif-  
ficiliore procedere, vbi breuior faciliorque est possibilis: secure  
inde concludi posse videtur: praeter fines, quos tandem per istos  
anfractus est adsecutus, Deum sapientissimum habuisse atque  
consecutum esse adhuc alios, occultiores quidem, sed etiam gra-  
uiores ac praestantiores. Magna sane iam hinc oritur suspicio  
arcani quid subesse; quae vero, vbi reliquos deprehendimus  
Typi characteres §. II-V. recensitos, in certitudinem conuertitur.

§. XIII.

Sic characteribus Typi necessarii expeditis, in hacce Se-  
ctione adhuc restat, vt explicemus, vnde perfectio alicuius Typi  
vel maior, vel minor sit aestimanda, sive Typus vel magis vel  
minus perfectus sit adpellandus? Generatim quidem dicere possumus:  
Typum eo perfectiore esse, quo plures et quo maiores veri  
typi characteres seu notas possidet. Ut vero quidquid est huius re-  
sponsionis perspiciat, riteque determinetur, vnde perfectio Typi,  
respectu ad quodvis characterum allatorum genus habitu, maior  
vel minor pendeat; descendamus paullulum, prout in illis ad-  
scendimus, prius sumendo illos, quos nouissime adduximus fon-

B

tes,

tes, ex quibus cognoscimus, rem aliquam a Sp. S. in Typum ordinatam esse §. VII-XII. Hic enim character §. VI. quum sit potissimum in investigatione Typi, vixote sine quo reliqui omnes nil efficiunt: meretur omnino, ut primo eundem Iustremus, quidque ipse diuersitatis in perfectione alicuius Typi gignere possit, videamus.

## §. XIV.

Si quis characteres, §. VII-XII. memoratos, cum illo §. VI. indicato conferat: ipso opere comperiet, non illos omnes aequalis esse dignitatis et praestantiae. Quis enim negabit, expressum S. Sacra testimonium de typica alicuius rei ratione, propiorem ac certo etiam respectu clariorum praebere certitudinem, quam quidem ubi remotiori ac magis mediato modo ad illam certitudinem peruenimus §. VIII-XII. et hinc reliquis esse anteponendam? Hoc iam *magnitudinem* notarum adpellare lubet; sique nota aliqua huius intentionis diuinae eo maior est, quo praestantior est aliis, seu quo perfectiorem in hoc negotio efficit certitudinem. Haec iam notarum differentia non potest non in ipsam Typi perfectionem, cui haec vel altera nota competit, inferre diuersitatem. Hinc res, penes quam iam omnes §. II-V. requisitos Typi characteres deprehendimus, respectu quinti characteris §. VI. magis vel minus perfectum sistet Typum, quo maiores vel minores sunt notae, ex quibus quintum characterem §. VI. in ipsa deprehendimus. Consequenter adparet, hoc respectu Typum minimum perfectionis typicae gradum habere, quem ex minimis notis pro diuinitus instituto Typo agnoscere possumus. Ex quo maioribus ergo notis id ipsum fieri potest: eo perfectior est Typus; donec ipse hoc respectu foret perfectissimus, penes quem ex maximis notis intentam a Sp. S. typicam ipsius rationem cognoscere valemus. Si hinc ponimus, duos Typos quod ad caeteros characteres esse perfecte aequales: tamen adparet, eum ex illis fore perfectiorem altero, penes quem ex maioribus notis cognoscere possumus, quod a Sp. S. in Typum sit ordinatus.

## §. XV.

§. XV.

Identidem vero consideranti has notas quinti Typorum characteris patebit, non illas omnino omnes, vt simul in uno Typo offendamus, necessarium esse. Vnica illarum saepe, immo saepissime, ad negotium hoc sufficit. Quis v. g. dubitabit amplius, esse Typum si id ipsum in S. Sacra de aliqua re adseueratur? Interim nemo inficias ibit, excellentiam Typi alicuius insigniter augeri, si ex multis harum notarum cognosci poterit, ipsum a Deo prouidente effigiem rei alicuius futurae spiritualis constitutum esse. Augeturne certitudo nostra, dum ipsa numero notarum clarior redditur? Certitudinem alicuius veritatis esse maiores, caeteris paribus, si eadem ex multis perspicimus rationibus, quam quidem si id ipsum non nisi ex vnica fieri potest, quis est qui neliciat? Adhaec si penitiori attentione notas §. VII.-XII. adductas penitus: nonne dilucescit, vnamquam fere ipfarum in plane alia relatione confitueret Typum aliquem, quam id quidem a reliquis sit? Quo plures hinc notarum illarum in vnicum Typum confluunt: eo pluribus in relationibus res aliqua est Typus, vt hinc duplex, triplex etc. in genere compositus valde oriatur Typus. Quid igitur impedit, quo minus concludamus: hoc respectu eum Typum minimo perfectionis typicae gradu gauisurum fore, qui ex paucissimis notis, i. e. ex vnica tantum talis cognoscitur? Quo pluribus hinc ex notis idem fieri poterit: eo perfectior hoc respectu fit Typus necesse est. Perfectissimus igitur is iure haberi potest, qui plurimis, i. e. omnibus possibilibus veris diuinae intentionis notis, esset insignitus. Si igitur nunc rursus duos Typos ponere lubet, qui non solum quoad praerequisitos §. II-V. characteres, verum etiam quoad quintum §. VI. ratione magnitudinis notarum, plane sint aequales: id tamen inde efferre possumus, eum fore perfectiorem, qui ex pluribus notis vt Typus divinitus intentus cognosci queat. Ut nunc, quae in hoc et antecedente §. diximus, breuiter complectamur, perspicuum est, respectu quinti Typorum characteris eum Typum minimo perfectionis typicae gradu gaudere, in quo ipso diuina inten-

intentio ex paucissimis ac minimis notis perspicitur; et perfectionem ipsius crescere, quo plures et quo maiores adfunt in ipso diuinae intentionis notæ.

§. XVI.

Sed hicce non est vnicus respectus, ex quo perfectio alii-  
cuius Typi diiudicari potest, siquidem dantur, vel saltim dari  
possunt Typi, quibus, quod ad quintum characterem attinet,  
exiguus admodum competit perfectionis typicae gradus, qui  
tamen alio respectu magna immo maxima perfectione gaudere  
possunt. Videamus igitur, quomodo reliqui characteres hancce  
vel augere vel imminuere possint perfectionem. Facile iam  
perspicitur, secundum et tertium §. III. IV. nullam plane diuer-  
sitatatem gignere posse; siquidem dici nequit, rem aliquam magis  
vel minus ad V. T., sicut nec eius Anti-typum magis vel minus  
ad N. T. pertinere. Hinc primus tantum et quartus character  
considerandus veniet. Sumamus statim eum, qui quintum,  
hucusque a nobis spectatum proxime attingit: *qui quis Typus eo*  
*tendere debet, ut fides et pietas populi Dei promoueatur.* Hic enim  
est omnis Typi, ceu medii, finis §. V. Si igitur certum est, me-  
dii alicuius perfectionem metiendam esse ex eius aptitudine ad  
finem adsequendum vel maiori vel minori: idem etiam de Ty-  
pis valeat oportet, esse scil. eo perfectiores, quo ad fidem et  
pietatem promouendam aptiores sunt. Huius quidem rei inqui-  
sitione ea de ratione superflua videri posset, quia Typi, ceu media  
a Deo sapientissimo adornata, fine suo nunquam excidere pos-  
sunt. Hoc licet lubentes concedamus: diffidendum tamen non  
est, sapientiam Dei non semper eundem gradum fidei ac pietatis  
per Typos intendisse; ut hinc maiori ac perfectiori fidei ac  
pietatis gradui maiora et perfectiora media seu Typos, minori  
autem ac minus perfecta fidei ac pietatis gradui minores identi-  
dem ac minus perfectos hoc respectu Typos subordinauerit.  
Nam enim constat, maiorem fidei ac pietatis inde resultantis  
gradum semper supponere maiorem cognitionem illorum, ex  
quibus fides ac pietas oritur. Hanc vero cognitionis perfectio-  
nem apud populum Dei initio quidem imbecillem admodum fu-  
isse,

isse, cum successu vero temporis magis magisque auctam esse, quis est qui ignoret? Sic igitur patet, idem esse, ac si dicatur: perfectionem alicuius Typi semper proportionatam esse gradum pietatis ac fidei a Deo intento, vel: proportionatam esse fidei ac pietatis gradum, ad quem producendum capax est Typus. Omni hinc iure concludere nobis licet: Typum aliquem hoc respectu minimam habituram esse perfectionem, qui ad exiguum tantum fidei ac pietatis gradum in populo Dei producendum est aptus. Quo ergo maiorem fidem et pietatem producere Typus aliquis valet, eo certo perfectior hoc respectu sit oportet. Ex duobus hinc Typis, quod ad caetera paribus, is recte dicitur perfectior altero, qui ad fidem et pietatem populi Dei corroborandam maiorem aptitudinem possidet.

## §. XVII.

Quius tandem Typus esse debet imago notabilis alicuius rei ex N. T. Vocamus quippe imaginem omnem rem, quae ob similitudinem suam cum altera quadam, illam nobis repraesentare, seu rectum ipsius conceptum nobis indere valet. Quod cum fieri nequeat absque repraesentatione *variorum* illius rei: omnis duarum rerum similitudo in eo consistit, ut in vna videamus repraesentata *varia* alterius, hinc vt *varia* vnius rei, *varii*, quae sunt in altera, snt similia, necesse est. Quius iam ex hoc videt, salua imaginis essentia in eadem comprehendendi posse 1) vel plura vel pauciora, 2) vel maiora vel minora alterius rei repraesentata *varia*, 3) hancce variorum repraesentationem vel minori vel maiori obscuritati posse esse inuolutam. Cum igitur ultro adpareat, ex hac diuersitate metiendam esse imaginis alicuius perfectionem: idem certe de Typis valere debet. Hac ratione nixis nobis secure admodum inferre licebit, Typum aliquem hoc respectu habiturum esse minimam perfectionem typicam, qui paucissima et minima Anti-typi sui *varia*, maxima in obscuritate, quae esse in Typo potest, adumbraret. Quo ergo plura, quo maiora Anti-typi *varia*, quo minori cum obscuritate Typus aliquis repraesentat, eo perfectior erit dicendus. Perfectissimus hinc hoc respectu Typus plurima maximaque Anti-typi sui *varia*,

minima repreſentaret obſcuritate, quae cum natura Typi conſistere potest. Inſigni ſane luce, quae hic diximus, perfundentur, ſi ad piſtores, artis ſuaे peritiſſimos, qui in conſciendis imaginibus, ſtričiſſimo ſignificatu ſumtiſ, verſantur, parumper attendemus. Quam conuenienter hiſee reguliſ procedunt. Obiectum enim aliquod pingentes, tot ſane eiusdem adferunt varia, quo per tabulam, aut rerum inter ſe relationem licet, quo ita oculum fortiter adſciant, qui irretorto obtutu varia iſta innumera pererrat, nec tamen omnes ſimul capere potest, ſed poſt ſaepiſſime iteratum imaginis illius adſpectum, ſemper adhuc noui quid detegit, vel detegere ſibi perſuadet. Nihilominus in hoc non acquiescent, verum eligunt ſibi nonnulla obiecti ſui varia, quae maxima ſunt et ad diſcernendum illud ab omnibus reliquis faciunt. Denique diſtributionem lucis et umbrarum ſcientiſſime iſtituent, ita ut in quoиis quidem repreſentato vario, ſed in maximis euitare poтиiſſimum ſtudeant obſcuritatem. Talem ſane imaginem nemo inter perfecliſſimas numerare recuſabit; prout in genere conſtat, perfeclionem imaginis alicuius magis vel minus deſcreſcere et imminui, quo magis vel minus in has peritorum piſtorum regulaſ impingatur.

## SECTIO II.

## PRAECEPTA HVCVSQVE PERTRACTATA AD IOSEPHVM ADPLICANS.

## §. XVIII.

Iam tuto ad id accedere poſſumus, in quo omnis ſcopus noſter verſatur, ut ſcil. ex fundamentis, abſque respectu ad peculiarem quemdam Typum hucusque poſtit, adſtruamus: Iosephum, Iſraeli filium, fuſſe non ſolum Typum Mefiae, (quod quiđem primo firmandum eſt,) verum etiam, fuſſe Typum admodum perfeclum, ſeu quod eodem redit, inter perfecliſſimos Mefiae Typos eſſe referendum. Hinc prium noſtrum hac in Sectione nego-

negotium erit, ut demonstremus, in ipso deprehendi tam characteres §. II-V. expositos, quam etiam quintum §. VI, ex una ad minimum eiusdem notarum §. VII-XII. cognoscendum. Ad hoc igitur vbi nos meditationibus nostris convertimus, reperimus, tres prioris characteres nullae sane difficultati esse subiectos. Heic nempe nondum est locus, vbi exspectari potest demonstratio, Iosephum praecise Messiam adumbrasse; ut hinc liceat nobis, idem per aliquid tempus supponere, ne ordo noster interrumpatur. Hoc iam si facimus; cum absque mea annotatione patescat, Iosephum ad V. T., Messiam vero ad N. T. pertinere §. III. IV.; similitudinem §. II. haud exiguum inter hasce personas intercedere, nemo sane negabit, qui vtriusque historiam attento percurrit oculo. Praeterea illa similitudo adeo manifesta est, ut non nisi mediocre requiratur ingenium ad illam appercipiendam. Sufficit hinc in praesentia, nonnisi ad duo momenta historiae Iosephi prouocasse, scil. 1) ad ipsius venditionem, 2) liberationem, quam populo Dei in grauissima fame praefestit; quae modo admodum simili in Messiae deprehenduntur historia, quippe qui non solum eadem fere summa venditus est a Iuda, verum etiam hac ipsa venditione medium est factus ad liberandum populum Dei ex spirituali inopia.

§. XIX.

Quiuis Typus aptus esse debet ad fidem pietatemque populi Dei promouendam §. IV. Nostrum hinc est ostendere, huncce in Iosepho deprehendi characterem; quod futurum est, si quasdam instituerimus considerationes. I. Scimus ex S. S. Iosephum ab ineunte iuuentute fuisse egregium exemplar hominis toto animo Deo deuoti, cundemque sincero ac ardentи studio colentis. Quodsi iam nostrum aliquis, vitam Iosephi attente lustrans, ad virtutem atque pietatem ipsius imitandam valide incendi potest: quidni idem dicendum erit de illis, qui ipsi aequales existebant, propriisque oculis mirabile hoc pietatis fideique specimen cernebant. Imo coniectu est proclive, Iosephi virtutem ipsis fratribus suis fuisse admirationi, quem licet odio plus vatiniano prosequerentur, adeo ut ipsum morti destinarent,

nihi-

nihilo tamen minus, consilia sua post alio flexerunt. Huic rationi, praeter singularem Dei prouidentiam, adscribendum esse purum, quod neci eundem non dederint; prout id primus impius ardor ferebat; sed potius in foueam coniecerint: immo hanc eandem Iosephi admirationem Rubeni mentem indidisse ipsum extrahendi siveque saluandi Gen. 37. 22. Quanta ne fuerit oportet pieratis ipsius admiratio, quae ex mutatione odii fratrum elucefecit? Et quis igitur dubirabit, num tale pietatis exemplar sit aptum ad promouendam populi Dei pietatem. II. Fides ac pietas cognitioni semper est proportionata §. XVI. Si igitur vtraque augeri debet, augeatur antea necesse est cognitione illarum rerum, ex quibus haec oriri possunt virtutes. Atque hinc dicimus, omne id esse aptum ad fidem pietatemque populi Dei promouendam, quod cognitionem dictam augere valer. Si ergo, quod mox plenarie adstruetur, adhuc supponimus, Iosephum ex intentione Spiritus S. fuisse Typum Messiae: propter analogiam haud exiguum, quae est inter personas hafce notatus dignissimas, concludere licebit: fideles illius temporis ex intuitu Iosephi cognitionem suam augere potuisse de Messia, qui potissimum est obiectum, ex quo fides atque pietas potest refulgate. Cum vero hoc aperte supponat, notum fuisse ipsis, quod Iosephus Messiam futurum adumbrauerit: vnde hanc habuerint scientiam, merito quaeritur. Occurrit certe huiusmodi quaestio penes unum quemque Typum; atque ad eandem non melior responsio, quam quae doctissimis quibusdam viris arisit, dari posse videtur: Deum absque dubio homini cuidam sancto illius temporis, quo institutus est Typus aliquis, reuelasse, hanc vel illam rem adumbrare quid altioris naturae ex N. T. illumque tum hominem, vel sua sponte vel ex Dei iussu, non omisisse arcani huius notitiam caeteris fidelibus impetriri. Certe, si accurate rem pensare volumus, adparebit, sine hac reuelatione perire, non omnem quidem, sed potissimum tamen Typi alicuius usum, qui est, ut fideles, coaeui alicuius Typi, per ipsum in imbecilli sua de Messia caeterisque notabilibus N. T. rebus cognitione incrementum capiant. Ex quo cum fides fluat et pietas maior, atque

atque in promotione fidei ac pietatis consistat potissimum scopus, quem Deus per Typum aliquem intendit: extra dubitationis aleam positum esse viderur, Deum absque tali reuelatione scopo suo excidisse, quod cogitare nefas est. Haec igitur confidratio etiam in casu nostro speciali valet, nosque edocet, si Iosephus fuerit Typus Messiae; coaeuos ipsius id sciuisse. Hoc vero si certum est, et Iosephus, prouti vidimus, aptus fuit ad cognitionem de Messia augendam: sequitur, quod etiam ad fidem et pietatem populi Dei promouendam fuerit aptus.

§. XX.

Accingamus nos iam ad maximum momentum, quod nobis ponderandum incumbit, ut scilicet demonstremus: Iosephum ex diuina intentione fuisse Typum. Si enim hoc destiueretur charactere, reliqui omnes nil efficent, prouti vidimus §. VI. nec Typus adpellari mereretur. Evidem, quantum nobis constat, in tota S. S. non fit expressa atque directa mentio, Iosephum fuisse Typum. Verum, quid inde fluit? Nil certe, nisi breuissima atque evidentissima via, ad hanc cognitionem perueniri non posse. Res nostra hinc nondum est conclamata; sufficit nobis, si modo, in aliis viis, §. VIII.-XII. indicatis incidentes, intentionis diuinae certa vestigia animaduertamus. Periclitemur iam, numne id fieri queat, si secundum §. VIII. demonstramus: Iosephum sub aliquo comprehensum fuisse rerum V. T. genere, cui S. S. rationem typicam expresse vindicat. Si iam effata S. S. quae Hebr. 10. 1. Coloss. 2. 16. 17. et in aliis locis occurrunt, lustramus, satis appareat, omnem cultum legalem, qui in obseruatione legum caeremonialium praecipue consistebat, typicam rationem habuisse, atque hinc ipsa S. S. nos iubet concludere, quamvis caeremoniam significationem typicam inuoluere. Inter hasce caeremonias absque dubio Nasiraeatus est referendus, quippe cui in libris Mosis variae caeremoniales praescribuntur leges, ut tuto inde concludere queamus, ipsi arcani aliquid atque sublimioris subfuisse. Si iam vterius cogitamus, ipsum in voto hominis alicuius constitisse, certo modo Deum colendi: quis est, qui in dubium vocet, Nasiraea-

C

raca-

ræatum extra personas votum illud suscipientes cogitari non posse? atque hinc veritatis lumine circumfusi coactos nos vides-mus, omnem Nasiraeum pro Typo declarare. Haec certitudo omnis temporis eruditos induxit inquire: quinam Nasiraeis Anti-Typus sit dandus? quod facientes, plurimi ipsorum in eo consentiunt, ipsum Messiam Nasiraeorum Anti-Typum esse agno-scendum. Nec suis haec sententia destituitur rationibus, verum duabus potissimum stabiliri potest. Prima videlicet haec est, quod Messias fuerit Nasiraeus modo excellentissimo, i. e. non quidem externorum rituum obseruatione, sed, quod magis essentiale est in Nasiraeatu, segregatione atque consecratione sui ipsius in perpetuum, nec interruptum promouendae gloriae diuinae studium, ac totali vitae sanctitate; quibus omnibus obseruatio externarum caeremoniarum inutilis reddebaratur, quae praeterea locum non habebat, quoniam Messias ad abrogandas caeremonias adparuerat. Secunda ratio petitur ex Matth. 2, 23. ubi dicitur, per prophetas de Messia esse praedictum, ipsum vocatum iri ναζηρεῖον. Quoniam vero talis locus in nullo Propheta-rum deprehenditur: non sine ratione concludendum est, alludi ad Nasiraeos Veteres, ita ut hic loci de Anti-typo praedi-cetur, quod proprie ad Typos pertinet, Nasiraeos scil. de qui-bus non nunquam, hinc et mediate de Messia, praedictum est, ipso Nasiraeos fore, vel appellatum iri, prout e. g. tale effatum extat de Simone Iudic. 13, 5. Annotant, ne quis scrupulus re-maneat, viri doctissimi: LXX. Interpretes hebraicum נָזֵר modo per ναζηρεῖον, modo per ναζηρεῖον vertere; ut hinc eodem modo Matthaeus potuerit scribere ναζηρεῖον, sicut euanescere ob-iectio-nem, ac si quis, hanc sententiam arripiendo, male con-funderet voces ναζηρεῖον, ab vrbe Nazareth duclam, et ναζηρεῖον Nasiraeum indicantem. Caeterum in hoc agnos-cunt peculiaris prouidentiae vestigia, quod Messiae a loco educationis Nazareth vilique eiusdem conditione ex odio coaevorum ipsius nomen Nazarei fuerit impositum, quod per bene exprimeret, qualem se exhibere deberet. Conf. de hoc argumento vberius solidiusque tractans doctissimus Spanhemius in Dubiis euang. Dub. 93.

§. XXI.

§. XXI.

Cum igitur veritas haec, Nasiraeos fuisse Typos Messiae, ira sit evidens, vt ab ipsis etiam teneatur Iudeis: nobis in praesentia nil amplius incumbit, quam vt demonstremus, Iosephum re vera fuisse Nasiraeum; quod vbi probatum fuerit, certi esse possumus, ipsum Messiae Typum exstitisse. Hoc iam sequentibus rationibus adstrui posse iudicamus. I. Quoniam in tota narratione Mosis non deprehenditur certum aliquod vestigium, ex quo, Iosephum Nasiraeum, qualem nos eundem profitemur, non fuisse, concludi posset. Hoc vbi adfirmamus, nonnullae oriri videntur ex contraria parte obiectiones, quas vt intactas relinquamus officium nostrum non permittit. Igitur A) Nasiraeatui Iosephi videtur aduersari, quod contra praecepta Nasiraeatus vinum, vel alium quandam potum inebriantem biberit; quod non tam ex leui isto argumento, desumto a poculo ipsius in facco Beniaminis reperto, sed fortiori, evidenti scil. testimonio Gen. 43, 34. apparere fibi persuadent contrariam partem sequentes. Huic iam accusationi duplēcēm opponere responsionēm satis erit. α) Verbum שָׁבֵר non semper significat *inebriare*, sed saepe etiam *ad satietatem bibere*; cuius significatus exemplum facimus Hagg. 1, 6. vbi לְשֻׁבֶּרְהַ ? absque dubio vertendum erit: *ad satis bibendum*, sicuti antecedens לְשֻׁבָּעַה ? per *satiare*, vel *satis edere*; vt hinc necessarium sit minime, inebriationem hic admittere, quod praeterea de pio Iosepho non est suspicandum. Sed β) etiam si verbo שָׁבֵר significatus inebriandi hic loci adscriberetur, quis est ille, quocum fratres Iosephi inebriabantur? Numquid עֲמִזִּי Iosephum indigitat, an vero Beniaminem? Nos quidem posteriorem intelligendum esse putamus, tam quia Beniamin est subiectum proximum, ad quod illud עֲמִזִּי conuenienter regulis exegeticis referri aptissime potest, quam quia haec nostra sententia longe maiorem habet probabilitatem, eo quod in proxime antecedentibus dicitur, Beniaminem quintuplicem omnium, quae apparabantur, accepisse portionem. B) Similem quis

scrupulum concipere posset ex eo, quod secundum Gen. 50, 1. Iosephus super mortuum ceciderit patrem, sive contra leges Nasiraeatus ex contactu mortui immundus fuerit factus. Sed euaneat hocce dubium, si annotauerimus. a) Praeceptum, ut Nasiraeus a mortuo abstineat, non in quois Nasiraeo feso extendit usque ad proximorum parentum cadavera. Dantur Nasiraei, ad tempus aliquod tales, de quibus omnino concedimus, ipsos ab omni cadavere, conuenienter Num. 6. 7. sibi debuisse cauere, utpote qui eadem cum summo sacerdote praecepta obseruanda habebant, atque a quibus, quoniam per breue tantum tempus Nasiraei erant, summa cum aequitate accurata obseruatio praeceptorum, qualia ipsis loco citato praescribuntur, postulari poterat. Ex horum vero numero Iosephum non fuisse putamus, utpote qui potius inter perpetuos, sic dictos, Nasiraeos, qui scil. per omnem vitam suam Deo erant deuoti, referendus videtur. His iam, quibus eadem cum gregariis fæderotibus iniuncta erant officia, sanguine iunctorum funeribus se polluere interditum non erat Leuit 21. et Ezech. 44. coll. Nuim. 6. 2. b) Sin vero etiam adsumeretur, Iosephum ad tempus solum Nasiraeum egisse: valde tamen excusabilis foret illa pollutio, partim quia Nasiraeatus tum temporis nondum tam arctis circumscriptus limitibus concipi potest, quam quidem sub oeconomia legali contigit; partim quoniam ex ratione admodum laudabili prouenit obsequio scil erga Deum Gen. 46, 4. quem arbitraria sua praecepta, quale est de cauenda Nasiraeis immunditie, suspendere posse scimus. c) Quoniam autem adfirmamus, Iosephum fuisse Nasiraeum perpetuum: omne suum robur amittit obiectio, quae contra Nasiraeatum Iosephi instituitur, quod scil. comam totonderit Gen. 41, 14. Nasiraeis nempe perpetuis semel quotannis eomam ponere licuisse, ipsi Iudei tenent in tract. talmud. Nasir; si scil. crines fierent nimis longi, atque portatu graues. II. Secundum iam argumentum pro Nasiraeatu Iosephi ducimus ex Gen. 49, 26. ybi a Iacobo moribundo ac tum temporis spiritu propheticō acto, hinc tam falli quam fallere nescio, vocatur נזר אוחז Nasiraeus fratribus suorum. Evidem nos non latet, locum

locum hunc explicationis alias esse capacem, quaeque saepe adsumitur ideo, quia insuperabilia impedimenta, quo minus Iosepho Nasiraeatus adscribatur, adesse putantur. Cum vero eadem hucusque sublata esse nobis perjuadeamus: sane non adest ratio, quo minus sententiam nostram, quae optima nobis visa est, tueamur. III. Tandem, quod certitudinem nostram de Nasiraeatu Iosephi ad umbilicum quasi perducit, hinc simul nostram verborum Iacobi explicationem stabilit, haec est, quod Iosephus possederit id, quod maxime essentiale est in Nasiraeatu, sese scil. totum gloriae Dei deuouerit, atque hoc votum pietate ac sanctitate continua per totam suam vitam sit exsecutus. Quod si forte quis dubitaret, num etiam ante legem Nasiraeatus detur, cogitet: alias caeremonias ante legem deprehendi, ut sacrificia, circumcisionem etc. addatque, Nasiraeatum non tam primo iussum fuisse tempore Mosis, sed limitibus potius circumscriptum videri, cum omni tempore a spontaneitate hominis dependerit oporter, num se Deo ita deuouere velit. Si enim, ut viri quidam doctissimi non sine ratione autumant, Nasiraeatus ex Aegypto ortum suum traxit, quid impedit, quo minus Iosephum primum constituamus huiusmodi Nasiraeum, vt pote de quo omnes fere circumstantiae variaeque rationes id ipsum suadent? Adhaec cum Nasiraei non fuerint nisi Typi: sane maior esse nequit difficultas assumendi ante legem Nasiraeos, quam quidem alios Typos. Tales vero extitisse Adamum, Diluvium, ipsumque transitum per rubrum mare, 1 Cor. 10, 3. etc. quis est qui nesciat?

§. XXII.

Haec iam omnia coniunctim sumta sufficere omnino possunt ad probandum: Iosephum ex intentione Sp. S. Messiae Typum fuisse, in quo omnes characteres §. II-VI. deprehendantur. Iam procedamus ad secundum Sectionis huius momentum, probaturi: quod Typus admodum perfectus fuerit. Primo quidem hunc adsequemur scopum, si demonstramus, eundem ex reliquis etiam diuinae intentionis notis Typum egisse §. XV. hinc etiam ex maximis, vnicarum excepta §. IV. quae efficiunt Typum

C 3

eo

eo respectu admodum perfectum; licet non negemus, adhuc maiorem perfectionem typicam Iosepho accessuram fuisse, si etiam ex expresso S. S. effato, partim ex aliis adhuc a nobis non allatis notis, ut diuinitus institutus Typus cognosci posset. Sed mittamus haec, et ad rem ipsam veniamus, ostendendo, Iosephum inter Dei populum fuisse plane singularis conditionis ac dignitatis hominem §. IX. Hoc quod attinet, nemo id facile in dubium vocare poterit, qui considerat, Iosephum numero filiorum Israe lis quasi fuisse exclusum. Non ipse, sicut reliqui fratres, peculiaris alicuius tribus erat conditor, sed in locum eius duo ipsius filii substituebantur, ab illisque duae familiae israëliticae adpellabantur. Ex hoc iam solo inferri posset singularis Iosephi in populo Dei conditio; verum haec vterius adhuc clariusque patebit ex contemplatione pietatis ipsius plane peculiaris, qua fratres omnes longe anteuerterebat. Cum autem de hac saepius iam firmus locuti, ad eximia atque singularia Iosephi de populo Dei merita attendamus. Erat ipse extraordinarium instrumentum, quo diuina prouidentia ad liberanda capita innumeri populi vt volebat, et ad ipsum illum ab imminente iheritu vindicandum. Quantane ex insigni hoc factō exsurgit Iosepho dignitas in animo, vt fratribus suorum, sic et in vniuerscuisque horum posterorum mente, nisi omni carere gratitudine dicamus? Adhaec de singulari dignitate Iosephi quis dubitabit, si perpenderit, fuisse ipsum non solum Prophetam supremi Numinis, cui notitiam atque intelligentiam obscurissimum futuri temporis aenigmatum concesserat Gen. 41, 39. sed etiam principem Aegypti, adeoque etiam domus paternae, a quo quis honorandum ac venerandum Gen. 41, 40? Profecto, si vlli personae sub V. T. singularis conditio ac dignitas competit, certe competit Iosepho.

## §. XXIII.

Accedere iam possumus ad notabiles denominations, quas Iosephus cum Messia communes habuit, atque ex quibus etiam diuina perspici poterit intentio ipsum in Messiae Typum constituendi §. X. Ad distinctius nobis praecipue, immo vnicum atten-

attendendum erit denominations. Hinc non tam curabimus denominationem pastoris Gen. 37, 2. licet eandem saepius sibi saluator noster emphatice satis altiori significatu adcommodauebit; sed 1) denominationem נַיְרָה omittere non possumus, siquidem illa discernebatur Iosephus ab omnibus fratribus, siue illam gesserit ex ratione iamiam allata §. XXII. siue, quod cum priori probe consistere potest, quia erat homo secretus vel segregatus a reliquis, non tam quoniam se se a fratribus, vel fratres se ab ipso segregauerant; sed a Deo erat segregatus atque ex caeterorum numero exemptus, ut esset persona singularis, ac signum alterius cuiusdam rei eminentioris, vti inter alios sentit doct. VITRINGA in Obs. S. L. VI. Cap. XXI. 2) Denominationem filii dilectissimi sui patris Gen. 37, 3. quae summa ob rationem Iosepho erat propria; iam vero eadem Messiae, respectu patris sui coelestis excellentissimo modo competit, vt pote qua coelitus etiam est insignitus Matth. 3, 17.

## §. XXIV.

Vt nunc etiam inquiramus, num nota illa diuinae intentionis constitueri Typum, quae §. XI. fuit exposita, in Iosepho deprehendatur, officium nostrum flagitat; num scil. de ipso in S. S. aliquid praedicetur, quod in eodem impletum non est? Nemo facile adfirmabit, somnia Iosephi meros ardentes phantasiae nocturnae lusus fuisse, cum manifeste satis adpareat diuina ipsorum origo, vt pote quae futura eius in Aegypto fata praefignifarunt. Si iam ad somniorum horum propheticorum<sup>rum</sup> ~~de~~nostram dirigimus attentionem: aliquid in illis de Iosepho praedictum reperiemus, quod quoad ipsum executioni datum non est; fluit igitur hinc, implementum in Anti-typo aliquo esse querendum. Somnium scil. hoc erat: solem ac lunam cum vndeceim sideribus coram Iosepho se demississe, quod ipse Iacobus, licet cum taedio aliquo ita interpretatur: *num pater tuus ac mater tua, cum fratribus tuis venient te adoratum?* Gen. 37, 10. Siue iam haec matris Iosephi adoratio intelligatur de adoratione ciuili, seu honore, hominibus in excelsa dignitate ciuili positis, debito, vel quo alio modo sumatur: in tota Iosephi

phi

phi historia huius praedictionis implementum desideratur. Rachel quippe, Iosephi mater, vita iamdum excesserat, vbi diuinum hocce somnium Iosepho fuit oblatum. Sed fortassis altera Iacobi coniux, Lea, matris Iosephi, fato funetiae, vices praefstans, per hancce adorantem innuitur matrem? Non quidem perspicimus, quo iure hoc dici queat; illius enim post Iacobi cum fratre suo reconciliationem non amplius fit mentio, cum tamen id ipsum occasio saepe tulisset, praecipue vbi ultimum Iacobi in Aegyptum iter describitur, vel inter illos qui iter hoc cum Iacobō faciebant, vel saltem nominari debuisse, vbi uxorum filiorum Iacobi iniicitur mentio Gen. 46, 5. et 26. Hac iam dueti consideratione, si non cum certitudine, saltim cum eximia probabilitate, concludimus, Leam nec iter hoc fecisse, nec inquam de Iosephi fastigio quidquam inaudiuisse, seu tum iam morti cessisse. In Messia igitur, Iosephi Anti-Typo, praedictionis huius implementum circumspiciendum erit, de cuius matre scimus, ipsam filium suum ut Deum et salvatorem suum honorasse, Luc. 1, 47. Addamus iam aliud de Iosepho effatum, cuius in ipso implementum indicari nequit, videlicet Gen. 49, 22-26. Nusquam certe nobis S. Historia refert, Iosephum perfectiones postea tulisse, vexatum quidem, sed a Deo mirifice sustentatum esse; et nihilominus hoc accidisse oporteret, si de Iosepho solo haec Iacobi praedictio prophetica intelligenda esset. Dicat fortasse quis, huius rei implementum in Iosephi posteris esse quaerendum: sed hoc ob duas potissimum rationes adfirmari non posse putamus, 1) quia filii Iosephi, et in his eorum posteri, iam peculiarem acceperant benedictionem Gen. 48. quae praecipua ipsorum fata complectebatur, quaeque igitur Cap. 49. non censenda est repetita, praecipue cum oraculum hoc a priori plane discrepet. 2) Versus 26. huius Cap. 49. satis docet, benedictionem spectare nonnisi ad נזיר אֶחָד, qui speciatim non est nisi Iosephus; quandoquidem nec Manasse nec Ephraimus, nec ipsorum posteri hacce appellatione insigniri potuerunt. Si vero hoc certum est, nec tamen in Iosepho impletum: quid obest, quo minus concludamus, immo quo modo aliter poterit

con-

concludi, quam quidem propheticæ huius praedictionis implementum in Messia, Iosephi Anti-typo, esse in vestigandum? Satis quippe constat, in S. S. saepius de Typo aliquid praedicari, quod propriæ Anti-typi est; praedictionem vero siue realem, siue personalem numquam esse, quae cum veracitate diuina aduersa fronte pugnet.

## §. XXV.

Tandem ad applicationem eius pertingimus, quod §. XII. exhibet, quoque post ea, quae iam de Iosepho attulimus, demonstratu non erit difficile. Experientia magistra nouimus, quantum ut plurimum fides ac pietas liberorum a parentum fide pietateque dependeat; constat porro inter omnes, filios Iacobi destinatos siuisse, ut innumeri populi patres essent, in illoque doctrinam salutarem propagarent. Numquid igitur poterat esse magis necessarium, quam ut propria ipsorum fides ac pietas contra omnes corruptelas omnimodo suffulciretur atque prouheretur? Hunc siuisse scopum optimi numinis, adparet ex omnibus circumstantiis, quas historia S. de hisce 11. patriarchis narrat, ut scil. ipsorum fides ac pietas corroboraretur. Huc iam spectat pius pater, optimum quod sequerentur exemplum ipsis præmonstrans; pius frater, animum in ipsorum actiones intendens, eorumque scelera non modo ipse carpens, verum etiam patri denuntians; mordens porro fames, quae terram premebat; variae calamitates anxiae, quas sibi ab incognito adhuc fratre imminere videbantur; tandem vero glorioſa ex malis hisce liberatio. Postquam enim ex singulari Iosephi indulgentia delictorum veniam impetrarunt, status ipsorum adhuc adflatus cum beato admodum in terra Gosen commutabatur. Haec certe omnia erant media, quibus prouidentia Dei, ad ipsos a vitiis ad pietatem reuocandos, inque illa corroborandos, vtebatur. Quod si iam de hoc sumus contiñti: num dubitabimus adhuc, diuinam sapientiam ad hunc finem adsequendum etiam recenti viꝝ siuisse Typo, et illo quidem ad eundem obtinendum satis apto? Et si quis adhuc restat scrupulus: nonne tum euanescat necesse est, ubi in hac rerum serie reperimus

D Iose-

Iosephum, omni praerequisito Typi charactere instructum, quique ad similitudinem Messiae, quod ad facta ipsius expresse factus et aptatus viderur? Certe, qui haec omnia complectitur, tanta fere perspicit certitudine, Iosephum fuisse Messiae Typum, ac si id ipsum S. S. expresse dixisset.

## §. XXVI.

Sed vero haec Dei intentio, in Iosepho populo suo Typum Messiae exhibendi, etiam adstrui posse viderur, si secundum §. XII. ad varias ac paradoxas vias attendamus, quas diuina prouidentia in satis Iosephi dirigendis est ingressa. Ipse odio habetur a fratribus suis; in vitae periculum incurrit, sed liberatur ac in Aegyptum abducitur, ubi seruum agere variisque cum afflictionibus luctari necesse habet, quas fortiter quidem suffert, sed praemii loco in carcerem coniicitur. Tres fere annos in ipso degere ipsum oportet, donec inde eductus ad ingens euerhitur fastigium, princeps nempe Aegypti constitutus etc. Quorsum haec omnia? Historia quidem S. nos docet, factum hoc esse, quo ita promissio Dei Abraham facta de semine ipsius per tempus sat longum in Aegypto commoraturo, implemento comprobaretur. Sed num hicce erat vnicus scopus, cuius adsequendi causa tot tamque mirifica adhibebantur media? Id quidem nos nobis persuadere non posse fatemur, quoniam videmus huncce scopum multo faciliori breviorique modo obtineri potuisse. Si enim Pharaonis somnium tam perspicuum fuisse, vt a Iosepho interpretationem illius petere necessarium non fuisset; omnia ista ad Iosephum in Aegyptum deportandum adhibita media cessa fuisse. Potuisse huic somnio adiungi mandatum, vt annonae colligendae praeficeretur vir prudens ac fidus, sive frumenti copia in Aegypto absque Iosepho fuisse; vel si nemo quam Iosephus huic negotio par fuit: ipse in somnio Pharaoni potuisse indicari ac ex Canaane arcessi; quo facto, familia Israelis vel fame compulsa vel a Iosepho monita in Aegyptum secessisset. Et quid ex hoc concludi aliud poterit, quam quidem varia ista fata Iosepho accidisse non ob solum illum finem, sed vt diuersos necessariosque ductus in imagine typica efficiant, qua Deus sublimius quid suo populo effigiare voluit?

## §. XXVII.

Sic iam confidimus, ea, quae inde a §. XXI. usque huc diximus, omnino posse sufficere, ad euincendum id, quod nobis proponebamus: scil. Iosephum respectu quinti Characteris §. VI. esse Typum Messiae admodum perfectum §. XIV. XV. Hinc vero adpareat necesse est, hoc respectu Iosepho competere perfectionem Typicam longe maiorem, quam quidem multis aliis Typis, qui neque ex tot, neque ex tantis diuinae intentionis notis cognosci possunt; quos ut adferamus, breuitatis ratio non permittit; siquidem quiuis videt, ad hanc rem conficiendam fore necessarium, ut antea inquiramus, ex quot et quantis notis Typi a Deo constituti cognosci possint. Cum igitur huius rei inquisitionem lectoris acumini permittamus merito: ut officio nostro pro viribus nostris ex ase faciamus satis, duplice adhuc respectu, Typo nostro insignem perfectionem typicam competere, est ostendendum; videlicet ut idoneus admodum sit ad fidem et pietatem promouendam, et quod eximia similitudo inter ipsum et Messiam intercedat. Haec iam duo momenta erunt sequentis Sec. materia; et quoniam prius optime patet, vbi similitudo in apricum est producta, liceat nobis hoc ordine procedere.

### SECTIO III.

## SIMILITUDINEM INTER IOSEPHVM ET CHRISTVM, AC HINC SEQVENTEM EIVS APTI- TUDINEM AD PROMOVENDAM FIDEM AT- QUE SANCTITATEM POPVLI DEI, SISTENS.

### §. XXVIII.

**Q**uum magnitudo similitudinis, quae inter imaginem alii quam ac rem, quam repraefentat, deprehenditur, ex mensura magnitudinis et pluralitatis variorum repraefentatorum,

rum, ac pro gradu obscuritatis, quae huic representationi inest, sit diiudicanda §. XVII. nostrum omnino erit, ut demonstremus, multa admodum ac magna Messiac *varia* modo parum obscuro in Iosepho esse adumbrata; si cum ratione statuere volumus, magnam similitudinem inter Messiam ac Iosephum intercedere, ac huic hinc, quod ad hanc, eximium typicae perfectionis gradum competere. Satis appareat, in hunc finem comparationem inter *variumque instituendum* fore; quod quo eo impeditius fiat, quacdam in antecessum monere non erit inutile. 1) Cum omnium eorum studium culpandum esse putamus, qui, ubi rem aliquam Typum esse sibi persuadent, ipsum torquent ac retorquent, donec vel minimum illius *varium*, typicum efficere possint, simileque alii cui *vario Anti Typi*: nobis haecce, quod nostram comparationem spectat, obiectione iure fieri non poterit. Hoc enim vitium omni modo cauere studuimus, atque ideo maxima ex parte variorum virorum eruditissimorum rite a nobis penititas sententias sumus fecuti; vt hinc sperare queamus, comparationem nostram semper adhuc facili negotio dignosciri posse ab aliqua artificiosa ac anxie quæsita; adeo vt, si quis nostram cum ipsa historia Iosephi ac Christi, prout in S. litteris existat, conferre velit, offendat, non tantum in Iosepho multa *varia* reftare, quae ad Messiam non adplicauimus, verum etiam in Messia multa occurrere, quae per Iosephum adumbrata esse, non dicimus. 2) Interim arbitramur, in tali comparatione non modo afferri posse, sed etiam debere omnia, quæ facili ac non quæsita ratione in *varii* Typi sese offerunt, vt similia cum *varii* Anti-Typi. Fundamentum huius effati postulas? En, quod melius adferre nescirem, illud tibi Celeb. WITSIVS suppeditat, qui ita: *Quando in Typo, inquit, aliquid repperitur, in quo cum Anti-typo similitudinem habet, merito adseritur, Deum, qui omnia ob initio nouit, Typum ita dispositissime, vt eam, quae in Anti-Typo est, veritatem praesignificaret.* 3) Typum nostrum minime adeo arde circumscribimus, vt non nisi in persona ac proprietatibus Iosephi rationem illius typicam ponamus, sed etiam in ipsis relationibus ac fatis; prout in genere difficulter reperiuntur res, quæ non in varia sua relatione fuerit Messiae Typus.

4) Quam-

4) Quamquam omnia ea, quae adferemus, veram nostram constituant sententiam: tamen adfirmare non audemus, comparationem nostram vbiique necessario esse certam. Si alicubi nos aliquo modo errasse deprehendamus, a scientibus volentibus nobis id factum non est, siquidem veritatem vbiique appetentes, errores nostros nec amare solemus, nec approbare. In genere vero comparatio nostra, licet fortassis non vbiique sit contestatae certitudinis, maxima tamen ex parte tam probationi, quam illustrationi nostrae propositionis inseruit. His igitur praemissis statim ordinamur.

§. XXIX.

Iosephum, dilectissimum sui patris filium, a diuina prouidentia praeter alios scopos etiam ideo in hanc lucem suisse editum, ut populum Dei ab imminente magna inopia liberaret, adeo est manifestum ipsaque historia stabiliter, ut qui hunc scopum negare sustineret, omnem narrationis mosaicae de Iosepho sensum litteralem susque deque habere deberet; conf. etiam Gen. 45, 5. Iuuentum suum exegit in pietatis ardentissimae exercitio, quae ipsi amorem ac reverentiam vniuersiusque conciliare potuisset et debuisset. Sed nihilominus a fratribus suis odio habetur; cuius rei tres potissimum adduci possunt rationes, 1) quoniam a patre multo magis amabatur, quam quidem ipse Gen. 37, 3. 2) quoniam ipsorum vitia carpebat eosque ideo accusabat ibid. v. 2. 3) Quoniam ipse extraordinaria somnia futurum praedicebat fastigium v. 5. 7. 9.

Quantum hic statim adparet similitudinis, quando in Naturam desigimus animum? Hicce dilectissimus Matth. 3, 17. aeterni patris filius nulla alia de ratione in mundum missus era, quam vt electum Dei populum spirituali inopia sua leuaret, peccato scil. eiusque poena, atque e contrario in ipsum copiam bonorum coelestium conferret. Ioh. 3, 16. Rom. 5, 9. Eph. 1, 7. Coloss. 1, 20. Ebr. 9, 13. 14. Ioh. 4, 9. etc. Vitam egit sanctissimam, ita vt nullus mortalium vnius ipsum, etiam ne minimi quidem peccati conuincere potuerit. Haec ipsis integra vita in genere, et beneficia praesertim erga quemque, opem ipsis implorantem, quam excellentissimis saepe miraculis exhibebat, de-

D 3

buis

buissest ipsi vniuersalem hominum amorem attrahere, quo ita Messias promissus agnosceretur. Verum enim vero odium atque inuidia plurimorum fratum suorum ex domo Israëlis ipsum excipiebat Matth. 12, 14. et quidem fere ex iisdem, ex quibus Iosephum, rationibus; videlicet 1) quia ipsis saepius dicebat, Deum esse patrem suum Ioh. 5, 18. Matth. 26, 63. 64. 2) quoniam eorum virtus detegebat ac publice culpabat, Matth. 12, 34. 39. 41. 42. Cap. 23, 4. etc. Marci 12, 38-40. 3) quia ipsis praedicebat, se esse sessurum ad dextram coelestis sui patris Matth. 26, 64. (quod sane summum constituit honorem ac fastigium) atque iudicium exercitetur, non solum in Hierosolyma, verum etiam olim in vniuersum orbem, Ioh. 5, 21-30.

### §. XXX.

Fratres Iosephi odium suum mox exserebant. Cum enim Iacobus Iosephum ad fratres, pecus suum pascentes, mitteret, ut cibum ipsis adferret, occidendi eius consilium inibant Gen. 37, 18. Hoc interim consilium non statim executioni datur; sed ipsum in foueam, aqua destitutam, immittunt, edentes interim ac laetantes v. 25. In qua fouea vbi per aliquod tempus comoratus esset, inde illum extrahunt atque peregrinis tradunt, qui ipsum in Aegyptum abducunt, vbi Potipharis famulitio est adscriptus Gen. 39, 1. Heic Iosephus prospera satis fruebatur fortuna; dominus ipsum amabat, nec forte ipsum ullo modo laesisset, vñquam, nisi coniux, iram vindictamque spirans, ipsius extasiter zelotypiam ac indignationem v. 18. quo facto Iosephum in tetricum coniecit careerem v. 20. quod omne mirabili cum constantia perfert Iosephus, sicut et iniurias, a fratribus sibi factas, quippe qui in mediis suis calamitatibus fauorem Dei est expertus.

Haec vbi cum fatis Messiae conferimus: deprehendimus, ipsum vix secundum coelestis sui patris voluntatem munus propheticum fuisse adgressum, quo ita iis, qui secundum carnem erant fratres sui, doctrinam suam, omnis solatii plenam, veram illam animae, spiritualiter esurientis, escam Matth. 15, 26. adferret; cum iam a scribis ac Phariseis, hisce perditarum ouium ex domo Israelis v. 24. pastoribus, odio habetur, qui eundem perse-  
quun-

quuntur, atque saepius consilium ipsum occidendi capiunt Matth. 12, 14. Interim hanc impiam animi sui sententiam non illico dare possunt effectui, satis habentes, ipsum in suam redigisse potestatem. Quod detentionem Iosephi in fouea ad Messiae captiuitatem adplicemus, nemini iniustum videri poterit, perpendenti, foueam aqua destitutam in codice S. statum captiuitatis vel propriae vel improprie v. g. Zach. 9, 12. denotare. Quodsi interim quis hoc Iosephi fatum pro typica passionis et mortis Christi repraesentatione accipere velit, illi sane contrarii non erimus; licet in historia Iosephi occurrat momentum, quod secundum sententiam nostram, non ob plura solum, sed etiam maiora *varia* aptius videtur ad passiones et mortem Messiae repraesentandas. Sed iam pergimus: Messias non diu sub Iudeorum, impie laetantium, potestate tenetur, sed breui, adparente scil. die, tradunt ipsum Romanis Matth. 27, 1. 2. hisce, respectu Iudeorum, peregrinis, et in specie Pilato, qui impetrare a fe non potuit, quominus manifesta admirationis ac reverentiae suae, sicut et innocentiae Christi testimonia subinde proferret, quin actionibus suis proderet, dum multifario conamine ipsum manibus hostium suorum eripere studet v. 18. 23. 24. Cum ratione hinc dicere possumus, Pilatum nunquam mali quid Christo fuisse facturum, nisi Iudaei, odii ac irae flammis exstimulati, metum ipsi de Caesare offendendo incussissent Ioh. 19, 12. Hic iam metus efficit, ut statim Christum supplicii reum declararet v. 16. quod vero omne saluator noster, sicut et antecedentes passiones, diuinitatis suae potentia suffulatus, ineffabili cum patientia ac constantia perferebat.

§. XXXI.

Priusquam in hac nostra comparatione vtterius procedimus, quaedam hic loci subiungimus hucusque omissa, quia non eadem temporis successione in Typo ac Anti-typo euenerunt, atque hinc nos, hunc ordinem sequentes, impediuerint. Interim haud difficulter intelligitur, haecce *varia* non plane esse omittenda, si modo veram, nec coactam pariunt similitudinem; quippe nullo modo adstrui poterit, semper ac necessario eundem ordinem esse debere in *variis* Typi adumbrantibus, qui est in Anti-typi

typi illis adumbratis. Huc iam referimus 1) ominosa Iosephi somnia, quae adumbrasse putamus, si non Christi Omniscentiam, factum eius praescientiam futurorum contingentium, consequenter diuinam quandam proprietatem, qua cum coniuncta est tota diuina natura. De rectitudine huius comparationis eo minus dubitare possumus, quo magis pensitamus, quam necessaria fuerit diuinitatis Messiae adumbratio aliqua ad fidem populi Dei augendam. 2) Vestis Iosepho exiuit, sanguineque tingitur Gen. 37, 23. 31. Simili autem modo humana Christi natura, qua eius deitas amicta quasi erat, cruentae morti est tradita. Eadem ratione olim velum, quo Sanctum Sanctorum obtegebatur, repraesentabat Messiae naturam humanam, illiusque ruptura respondebat accurate morti, cui haec subiiciebatur. 3) Iosephus viginti argenteis venundatur v. 28. saluator eodem fere modo, triginta scil. argenteis Matth. 26, 15. 4) In omni opere Deus est cum Iosepho ipsique benedicit, unde mitius tractatur, ipsique gradus ad honores sternitur: sospitator in iuuentute sua creuit aetate, sapientia ac gratia apud Deum pariter atque homines. 5) Iosephus in grauem incidit tentationem ad peccatum Gen. 39, 7. 10. ex qua per pietatem suam Deique gratiam feliciter emergit v. 8. 9. 12. etiam Christus post baptismum suum tentatur Matth. 4. 6) Potipharis coniux insontem calumniatur Iosephum, ipsumque appetiti adulterii accusat; domesticos ad falsum testimonium aduocat, ac reliquum Iosephi vestimentum, quod rem perspicienti potuisse esse indicium innocentiae ipsius euidentissimum, corroborandae criminationi falsae inferuire debet. Sed tempore exaltationis Iosephi, omnes hae calumniae in auctorum suorum detrimentum euanescebant Sap. 10, 14. Ad seruatorem quod attinet: similem ipsi secnam Iudaei aperiunt, dum innocuum Iesum blasphemiarum, concitationum populi etc. accusabant. Miracula eius, certissimi diuinae ipsius missionis testes, criminationibus ipsorum anfam praebent, ac si eadem Diaboli ope patraret. Coram Pontifice maximo contra Iesum falsos adducunt testes, qui vero sibi iniucem contradicebant atque hinc iam tum in ruborem dabant, quod certe adhuc magis fiet, quando in gloria sua Messias redibit ad mundum iudicandum.

§. XXXII.

§. XXXII.

Reuertimur iam ad Iosephi carcerem, ibidemque offendimus duos, qui vna cum ipso in custodia detinebantur, quique ob sua in regem commissa crimina Gen. 40, 1-3. malum hoc perferabant. Horum vni Iosephus annuntiat liberationem proxime instantem atque restitutionem in pristinum locum v. 13. alteri vero supplicium v. 19. Tertio posthaec anno Gen. 41, 1. Iosephus ex carcere educitur; atque nunc adparet, omnia mala ab ipso perpetra ad gloriam suam viam munire debuisse. Praeficitur domui Pharaonis v. 40. immo toti Aegypto v. 41. magna amicus gloria v. 42. 43. Totam regit terram, ita vt ab ore ipsius penderent omnes, Pharaone excepto v. 40. 44. Omnis populus ipsam agnoscit liberatorem, ac genua quasi coram ipso flectit Gen. 47, 19. 23.

Rursus heic nobis, ad Messiam attendantibus, magna vindetur esse similitudo. Scimus enim, ipsum similiter duos passionum suarum comites habuisse, qui ob sua crimina hancce luebant poemam Luc. 2,3, 33.41. Horum vni peccatorum suorum remissionem v. 43. annuntiat, ipsi proxime imminentem coelestem gloriam promittendo. Ad alterum quod spectat maleficum, illi quidem non directe damnationem suam aperit, verum tamen indirecte, tam per ipsius silentium ad eius criminaciones v. 37. quam in promissione alteri facta; oppositorum enim, vt aiunt, opposita est ratio. Interim finiuntur Christi passiones, ac tertio inde die modo glorioſiſſimo ſepulchrum derelinquit Matth. 28, 1.6. Ex his adparerat omnino, ipsius passiones ad gloriam eius tetendisse Luc. 24, 2.6. quibus exantlatis, omnis potestas in coelo ac in terra ipsi committebatur Matth. 28, 18. atque in specie caput fidelium, summusque princeps domus Dei constituitur Eph. 1, 22. 23. Coloff. 1, 18. inde per adſcenſum suum in coelos atque ſectionem ad dextram patris summa circumdatus gloria Ebr. 8,1. ita tamen, vt quoad ipsius humanam naturam ſoli ſubiectus fit patri, vt ipſe dicit: patrem suum ſe eſſe maiorem. Omnis fidelium cohors ipsum agnoscit ſaluatorem suum, talisque aliquando in ultimo die coram vniuerso genere humano praedicabitur. Ab his iure

E

meri-

merito postulatur, ut in nomine Iesu flectantur omnia genua eorum, qui sunt in caelo ac in terra Philip. 2, 10, 11.

§. XXXIII.

Iam illud attingimus momentum, quo sapientia et prudenter Iosephi plena luce se conspicendam praebet. Hac quippe effecit, ut in Aegypto panis affatim esset, dum interim reliquae regiones maxima penuria premerentur Gen. 41, 54. Hinc eueniebat, ut omnes fere gentes ad Aegyptum confluenter v. 56. petentes simul cum Aegyptiis a Pharaone alimenta; sed omnes ab ipso ad Iosephum mittuntur v. 55. Ipsi Iosephi fratres accurerant 42, 3. qui quidem primo illum in gloria sua non agnoscunt, non cogitantes, somnia eius praeter opinionem suam exsecutioni esse data. Hinc vero varia admodum ratione castigantur v. 9. Cap. 44, 14. seqq. cum autem ipsum reuerenter ac summa cum animi demissione colerent et quasi adorarent, saepius sese ac patrem suum seruos ipsius adpellando: Iosephus se ipsis tenerimi ac generosi affectus significatione agnoscendum dabant Gen. 45. addicebatque iis amoenissimam ac fertilissimam habitationem, Cap. 47.

Haec vbi ad Messiam adplicamus: supponimus, Aegyptum et speciatim Gosenem adumbrasse veram N. T. ecclesiam, prouti hoc ob fertilitatem huius terrae, tam in genere, quam potissimum temporibus Iosephi, optime fieri potest. Hoc igitur dum ponimus; in hanc sponte deducimur sententiam: per Christum verae ecclesiae maximam copiam spiritualis alimenti, quod non solum in laetabili doctrina de peracto saluationis opere, verum etiam in fideli ciudem adplicatione et apprehensione omnibus que cum hac connexis salutaribus fructibus consistebat, esse conciliatam; cum contra, qui confortii ipsius sunt expertes, tantam huius inopiam patientur, quantam cogitando adsequi possumus. Paullatum hi incipiebant, quid sibi deesset, cognoscere, adque veram conuolabunt ecclesiam, a cuius ministris, nomine Dei agentibus, ad Iesum, qui famem ipsorum spiritualem leuare ac desideria ipsorum plenissime explore poterat, alegabantur. Ex ipsa Israels posteritate multi, a quo tempore Christus in caelos est euectus, ad veram accesserunt ecclesiam, nec in posterum defuerunt,

runt, qui eidem se adiungerent. Qui vero legatis ipsius aures recusarunt, nec gloriam ipsius agnoscere voluerunt, illi grauibus iudiciis diuinis sunt prostrati, ipsorum terra miserum in modum est euastata, superstites per totum orbem dispersi atque omnium populorum ludibrio sunt manentque expositi; donec aliquando saluator gloriosus tenerime se ipsis manifestabit, ipsosque in verae ecclesiae gremio omnium spiritualium bonorum participes faciet.

## §. XXXIV.

Vlterius hanc comparationem extendendam non esse putamus; fortasse nimis iam extensa videtur alicui. Quiuis interim inde perspicet, etiamsi nonnulla detrahantur, remanere adhuc multa admodum magnaue Messiae varia, per Iosephum repraesentata v. g. passiones et mortem eius, et multa quidem in minori obscuritatis gradu, claritatem proxime attingentes; quo spectat v. g. odium, quo Iudei ipsum prosequebantur cum huius sequelis etc. Numne igitur magna Iosepho competit vel hoc respectu typica perfectio? Omnino quidem. Ac licet in se possibilis sit Typus, hac ratione adhuc perfectior: tamen difficile admodum erit reperire Typum, qui plura, maiora Messiae varia, eaque minori adhuc cum obscuritate adumbrauerit, quam quidem Iosephus, posita nostra comparatione. Per hoc vero dictum nolumus: ac si a fidelibus V. T. similitudo inter Iosephum ac Messiam ita penitus perspecta fuisset, atque quidem nos hodie illam perspicere possumus, vbi umbrae cessaerunt, in earumque locum corpus, et ipsa rerum adumbratarum veritas successit, sed potius tenemus: maiorem vel minorem huius Typi obscuritatem eo tempore, quo prisca oeconomia viguit, dependisse a diuino plurium vel paucorum, maiorum vel minorum Messiae variorum, in Iosepho adumbratorum indicio, et in genere a gradu cognitionis, quem habere poterant. Cum vero Israëlitarum de Messia cognitio maiora usque cum tempore incrementa caperet: negandum quoque non est, illi, excunte paullatim Oeconomia vetere, haud parum lucis

E 2

esse

esse accensam e. g. tempore Malachiae, quo ipso maxima etiam obscuritatis pars, in nostro Typo adhuc obuia, euanuerit oportet. Prouti autem hoc in quoquis Typo obseruandum est, concludimus inde: Typi alicuius maiorem vel minorem obscuritatem non ex solis temporibus, quibus Typus primitus erat institutus, metiendam esse.

## §. XXXV.

Vltimo nunc loco paucis adhuc nobis attingenda erit Iosephi admodum magna perfectio typica, quae ipsi competit, quatenus plurimum facit ad pietatem, fidem, spem ac solatium populi Dei fulciendam ac corroborandam. Demonstrauiimus iamiam, hanc capacitatem siue aptitudinem semper esse proportionatam cognitioni, quam Typus aliquis procreare potest. Cum igitur hucusque probauerimus, haud contemnendum ex typica Iosephi confederatione oriri posse cognitionem de Messia eiusque fatis; nihil obstat quominus omni nostro operi coronadem imponamus, concludentes: Iosephum etiam hoc respectu, hinc in omni, quod perfectionis typicae gradum constituisse potest, fuisse Typum Messiac admodum perfectum.



EXIMIO AC DOCTISSIMO  
AVCTORI RESPONDENTI  
S. D. P.  
PRAESES.

**H**omines, qui praesentissimis vitae periculis eripiuntur, magnis  
saepe rebus destinari, et qui fortunam in sua quasi potestate  
habent, ut ab infima sorte ad summum humanae dignitatis  
fastigium non lentis passibus progrediantur, sed citatis gressibus per  
saltum gravissentur, illis singularem NVMINIS prouidentiam adesse,  
antiquis dudum est obseruatum. Exemplo nobis esse potest IOSE-  
PHVS, Iacobi non ignobilis proles, qui non semel mortis faucibus  
est expeditus, tandemque ad supremum prorogis Aegypti apicem pro-  
uolauit. Qui nuper admodum abiectione seruitutis taedia deuorauerat,  
et compedibus constrictus terti carceris squalorem tolerauerat, for-  
tuna praeter omnem opinionem mutata, e carcere ad aulam, e vin-  
culis ad gubernacula regni amplissimi vocatur. Qui siuiae olim ac  
pedo adsuetus, nec ullum ingenii cultum in aedibus paternis nactus  
erat, illi fasces vasti imperii inopinato creduntur, cuius publica ne-  
gotia tanta dexteritate, tanta fide ac prudentia tractat, non aliter  
ac si multa ad id arte instructus, ac longo usu eductus fuisset. In  
ipso splendidissimum diuinac prouidentiae speculum animaduertimus,  
et quoniam fata ipsius stupenda quadam sapientia fuere dispensata, iure  
dicere possumus, in ipso effigiem excellentioris cuiusdam personae no-  
bi representari. Hoc ipsum TV, honoratissime AVCTOR RESPON-  
DENS, praesenti commentatione, quae, tum quod ad dispositionem,  
tum quod ad elaborationem tota TIBI debetur, ita es exsecutus, ut  
hanc vulgarem ingenii, sagacitatis et cõsiderationis laudem promerearis.  
Equidem ex illis, qui res typicas sua cura ac consideratione dignas indi-  
carunt, non facile est aliquis, qui Iosephum tanquam Typum IESV

F

CHRI-

*CHRISTI non attigerit: sed qui id ipsum ad rigidas ærodelegas leges  
exegerit, mibi saltim abhuc occurrit nullus. Gratulor igitur hunc TIBI  
ex animo labore, et si quidem ex speciminibus illis, quibus ingenii  
TVI vim, iudicii aciem, propōnendi prōmptitudinem in velitationibus  
nostris priuatis saepius nobis probauisti, conjecturam facere licet, facile  
prospicio animo, TE in propugnanda dissertatione TVA aequem felicem  
futurum, ac in eadem elucubranda fuisti. Nouis igitur mentis atque  
animi opibus auctus, DEO comite, ad patrios lares reuertere, ac rem  
TVAM in ciuitatis christianaem emolumenntum ac decus strenue age,  
mei, si meruero, memor! Scribeb. Halae Magdeb. Cal. April. A. C.  
C<sup>h</sup> 5 CC LVI.*

---

**C**HER AMI! Voilà la Couronne  
De votre Travail assidu!  
Voila des fleurs, qu' Apollon donne  
A ses enfans les plus cheris!

**H**heureux moi, qui, des mains avares,  
Joint en Ami a Vos côtes  
Les puis cueillir pour Votre gloire  
De Vos combats l' Associé!

**V**iens donc a moi, des Nues closes  
Haute Deesse de l' Amitié!  
Inspire a mon Coeur les Eloges,  
Que mon Ami a merité!

**T**emoigne au Monde, qui Te suive,  
Que c' étoient Vertu, Probité,  
L' humeur solide, égale et vive,  
Qui lui mon Coeur ont adonné.

C' est

**C**est par des Noeuds si immuables  
Que notre amitie fut liée,  
Qui par leur Force inalterable  
De Jour en Jour l'ont resserré.

**R**ecois pour cette constante flamme  
Tendre Ami! mes remercimens,  
Recois les sincers Voeux d'une Ame  
Que Tu possedes entierement.

**Q**ue, loin d'une haute esclavage,  
En grande troupe suivent Toi,  
Toutes les Prosperités du Sage;  
Vive heureux! Vive ami de moi.

*C'est par ces lignes, que Vous temoignez  
L'amitie sincere, dont est envers Vous  
Votre*

*devoué Ami, et Serviteur.*

FREDERIC ERNESTE WILMSEN,  
OPPOSANT.

---

## AVCTORI RESPONDENTI

NOBILISSIMO

S. P. D.

IOH. ADOLPHVS SCHWARTZMEIER

BEROL.

S. TH. CVLTOR. OPPON.

**C**um de coelo sapientia descendens regnum inter homines figeret, va-  
riis illa mortales praemis ad sui familiaritatem societatemque  
pellexit, summam acquiescentiam, animum liberum atque aequum,  
bonores opesque pollicens; bis tamen additis: vestra cura, vestroque la-  
bore

bore ac sollicitudine haec bona acquiretis! viam asperam ac fragosan  
infristis! manibus puris ac macularum expertes ad me accedetis! Hocce  
effatum ad tuas etiam peruenit aures, Amice Suauissime! Tu sapientiae  
studiosus haec omnia impleuisti optime. Difficultates erant superandae?  
superasti; vitae integritas ac puritas seruanda? seruauisti; multi labo-  
res suscipiendo? suscepisti. Vade iam, Amice, et quibus Te meritis  
tuis dignum fecisti, quae Te exspectant sapientiae praemia accipe! His  
vtere ac fruere! Vale. Scripsi Halae Magdeb. die XXX. Martii  
M D CC LVI.

---

AVCTORI AC RESPONDENTI  
DOCTISSIMO

S. P. B. D.

FRIDERIC. LVDOVICVS VICTOR SAXENBERG


STENDAL.

S. TH. CVLTOR. OPPON.

**M**axima me perfudisti laetitia, dum me spartam Opponentis Tui  
sustinendo dignum iudicasti. Quemadmodum iam hac de re Tibi  
ago gratias, quas possum maximas, sic, nisi insigni Tuae humani-  
tati parendum mihi esset, prolixè Tibi declararem, quantopere in Te  
semper aestimauerim animum erga unumquemque amicissimum, morum  
suavitatem, vitam piam ac futuro Theologo dignissimam, ingenii ala-  
critatem, intellectus profunditatem ac quam bisce omnibus aqualem  
praefitisti in literis ac scientiis addiscendis diligentiam infatigabilem.  
Quid iam ex his omnibus mihi non tam suffragandum quam augurandum  
esset de eruditioris Tuae specimine, quo, annis Tuis academicis  
praeclare peractis, coronam quasi imponere Tibi lubuit, si ardori animi  
mei, ea, quae meruisti, proloquendi, obsequium praestare vellem? Sed  
alstineo bisce, ac nonnisi mihi de tali Amico gratulor, cui hinc disces-  
suro prospera omnia appreco. Vale, Amice optime, ac absens etiam  
fauori amicitiaeque Tuae me habeas commendatissimum. Dabam  
Halae Magd. die IV. April. M D CC LVI.







155556

AB 155 556

X2613390

l



# Farbkarte #13



B.I.G.

12

*ATIO THEOLOGICA  
SISTENS  
DEMONSTRATIONIS  
QVOD  
ISRAELIS FILIVS,  
SIAE ADMODVM PERFECTVS.*

*QVAM  
ANTE NVMINE SVPREMO  
RAESIDE  
DO EXCELLENTISSIMO AC DOCTISSIMO  
ORGIO MICHAELIS  
BL. ORD. AC ILLVSTRIS GYMNASII  
FORM. EPHORO  
AC PRAECEPTORE  
ERNVM SVSPICIENDO  
. APRILIS MDCCCLVI.  
GYMNASII AVDITORIO MAIORI  
EXAMINI SVBMITTET  
QUE DEFENDET  
AVCTOR  
YDOVICVS FRANCKE  
VSIO POLITANVS  
S. S. TH. C.  
MAGDEBURGICAE  
HILLIGERIANIS.*